

DE
SVPERFLVIS ATQVE INVUTILIBVS
E PATHOLOGIA PROSCRIBENDIS
DISSERIT

AC
MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTOREM, ILLV-
STRISSIMVM COMITEM, PATRES CONSCRIPTOS,
OMNIVM FACVLTATVM DOCTORES, AC QVOSVIS
LIBERALIVM ARTIVM FAVTORES ET
CVLTORES

AD
ORATIONEM
INAUGVRALEM

DE
CERTO VERAЕ PATHOLOGIAE
FVNDAMENTO

QVOD ADHVC DESIDERATVR
STABILIBENDO

DIE III. AVGVSTI MDCCXXXIII.

HABENDAM

OMNI OBSERVANTIA INVITAT

CHRISTIAN. GODOFR. STENTZEL
ARTIS SALVTARIS ET PHILOSOPHIAE DOCTOR
FACVLTATIS MEDICAE ASSESSOR, CHIRVURGIAE PRO-
FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS AC PATHOLOGIAE
SVBSTITVTVS

DE
SUPERFLUIS ATQUE INVULSIBVS
E PATHOLOGIA PROSCRIBENDIS
DISSERTIT

MAGNIFICVM ACADEMIAE RECTORVM, ILLV.
STRISSIMVM COMITVM, PATRES CONSCRIPTOS,
OMNIVM FACULTATVM DOCTORES, AC QVOSVIS
LIBERALIVM ARTIVM PAVTORES ET
CULTORES

AD
ORATIONEM
INVAGVRALEM

DE
CERTO VERAE PATHOLOGIAE
FVNDAMENTO

QVOD ADHVC DESIDERAVIT
STATVENDO
DIE III. AVGVSTI MDCCXXIII.

FRANCO
OMNI OBSERVANTIA INVITAT
CHRISTIAN. GODOFR. STENTZEL
ARTIS SAEVITARS ET PHVSORPHIAE DOCTOR
FACULTATIS MEDICAE AASSOR, CHIRVURGIAE PRO
FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS AC PATHOLOGIAE
SVBSTITVTVS



DE
SVPERFLVIS ATQVE INVTLIBVS
E PATHOLOGIA PROSCRIBENDIS.

I



Liminentur demum e pathologia inutilia, anilia atque a scopo medendi aliena, quibus praecipua haec artis salutaris pars referta. Omnes medicinae partes ministratae emendatae prostant, atque omnes vires, omnes sumtus, ad solidiorem physicae, anatomiae, rei herbariae & chymiae culturam impendimus, de corrigenda pathologia tam generali, quam speciali parum solliciti, cum tamen pathologia specialis illa sit medicinae disciplina, cuius in gratiam ceteras omnes addiscimus. Ea vero inutilia ac peregrina appello, quae nihil plane ad prosperae conseruationem ualitudinis atque ad morborum cognitionem & medelam contribuunt, ac praeter inanium notitiam uocum & terminorum, quibus mens in spem futurae obliuionis oneratur, nullum discenti emolumentum relinquunt & praebent. Quis talia a solida uerae pathologiae cultura arcenda negabit, cum studium medicum admodum difficile & prolixum sit? Unde quoque HIPPOCRATES (a) iis, quibus sparta docendi medicinam demandata, inculcat, ut praecepta sua aphorismis,

A

hoc

(a) lib. Aphorism. sect. 1. §. 1.

hoc est, succinctis thesibus, in quibus saltem utilia & necessaria a superfluis separata traduntur, comprehendant. Mea minime est sententia, alicui solidius chymiae, anatomiae, rei naturalis, herbariae cumprimis, studium dissuadere, quod alios temeraria commotos ratione fecisse, aliis iam indicavi scriptis, (b) commendo potius scđulam atque exactam omnium medicinae partium culturam, atque ingenue profiteor, quod nulli, licet omnes intendamus nervos, perfecte satisfacere queamus. Totus sis in chymiae exercitio, totus sis in rimanda ac detegenda structura & natura partium corporis humani, herbarum, stirpium, lapidum & metallorum, necesse est; imo ad unguem usque hae artes & scientiae addiscendae prius, quam ad pathologiae culturam te confers; hoc saltem doleo, hoc desidero, quod, cum ceteris medicinae partibus iustum statuatur pretium, ac debita ad eas rite excolendas sedulitas adhibeatur, omnes pathologiam tot tricis & nugis imbutam relinquentes, nullam, aut certe non eam, quae necessaria est, illius habeant curam, ac de eadem emendanda ne cogitent quidem. Certum utique, quod ad hoc perficiendum unius hominis, licet solertissimi, labor & vita haud sufficiat, in multis quoque, a quibus hoc desideratur, & inclinatio & studia deficiunt. Nam varia sunt hominum ingenia, uariaque mentis determinatio, unde hic maiore rei herbariae, ille anatomiae; hic chymiae, ille pathologiae tenetur amore. Talia ex hoc fundamento, in demandandis docendi spartis seligenda sunt subiecta, quae in ea, quam docere debent, medicinae parte, praestantiores prae aliis profectus, & hac ratione non sufficientes saltem vires, sed propensionem quoque ad commissum officium rite administrandum possident. Nihil enim magis artium & scientiarum, quibus medicina constat, incremento obfuit, atque adhuc obest, quam, si tales eliguntur docentes, qui eam, quam asinus ad lyram, ad explicandam artem uel scientiam illis commissam, habent peritiam & aptitudinem. Excludantur dehinc a mune-

re

(b) 1) dissert. de steatom. in principio arteriae aortae repertis, Praefat. p. 5. & 6. 2) in dissertat. epistol. anthropologiae ad pathologiam applicatae praemissa. 3) in dissertat. de glandularum in plurimis uisceribus absentia, §. 20. p. 26. 27. & 28.

re docentis, stupidi, inertes, ac philosophiae & necessariarum expertes linguarum; feligantur industrii, ac qui ingenii uiribus excellunt, selecti debita protegantur ratione, ac quo scientiae uel arti, quam profitentur, satisfacere queant, non spartam saltem iam semel demandatam per totius uitae decursum retineant, sed necessarii quoque sumtus illis surrogentur. Ita perfacili negotio omnes medicinae partes, praecipue uero pathologia, magis magisque emendari, atque ad eam, quae datur, perfectionem deduci possunt. In hac uero corrigenda ita te geras, ut segregando utilia ab inutilibus, ea saltem, quae ad scopum praeseruandi & curandi morbos collimant, retineas & proponas. Hic labor, hoc opus non discens, sed docentis est; ea de causa, cum mihi munus pathologiam in hac Academia publice docendi clementissime sit demandatum, paucis methodum, qua plurimi in docenda tam generali, quam speciali pathologia utuntur, examinabo, atque indicaris inutilibus atque a scopo medendi alienis, qua ratione pathologia melius & facilius addisci, doceri atque exerceri queat, explicare annitar.

II. Nullus, qui debita rerum medicarum notitia instructus, mihi uitio uerter, si dico, quod ueram pathologiam nondum habeamus, ac quod certum adhuc illius desideretur fundamentum. Si dubium aliquod de illis tibi restat, consideres, quaeso, morborum, quos in plurimorum libris pathologiam complectentibus inuenis, definitiones, plurimae ita comparatae, ut non distinctus saltem de morbo, illius essentia & causa, desit conceptus, sed dissimiles quoque infirmitates maxime inter se confundantur. Ac quale pathologiae habemus fundamentum, nullum certe, aut idem lubricum, incertum, dubium atque intellectu nostro modificatum? Rationem, regeris, atque experientiam, certissima uerae pathologiae esse fundamenta, ast quomodo plurimi se in allegandis rationibus atque experimentis gerunt; alii morborum causas ab astris, a uermibus alii deducunt; alii easdem principiis chymicis accommodant, omnem culpam alii animae tribuunt; peculiari texturae & figurae particulas, quas ipsimet describere atque explicare nesciunt, sibi fingunt alii, alii iam archaicum, iam

alios spiritus, uel uentriculum aliudque uiscus accusant. Nec aliter se res habet cum experientia, hi enim ad demonstrationes atque experimenta chymica, illi ad obseruationes clinicas prouocant, alii certum uerae pathologiae fundamentum in obseruationibus anatomico-pathologicis quaerunt. Ipsam rem uero iam aggrediamur; pathologia in generalem & specialem, seu in therapiam & pathologiam, in scholis medicis diuiditur, sed superuacanea est haec distinctio, nam in docendo therapiam, a generalibus ad specialia progrediendum, unde nulla pathologiae, nisi ad therapiam applicatae, utilitas. Distribuitur deinceps pathologia generalis ab aliis in tres, nempe nosologiam, aetiologiam & symptomatologiam, ab aliis in quatuor partes, qui iam allegatis tribus semiologiam addunt. Sed haec pathologiae diuisio nimis prolixa est, cum causa morbifica atque illius effectus sufficiant, & hoc modo ad effectum seu productum, morbus, symptoma & signum sint referenda. Prima deinceps generalis pathologiae pars, quae *νοσολογία* dicitur, morborum definitiones & differentias tradit, quae paucis & rei naturae congruis uerbis suppeditandae; uerum enim uero, quam inutilia & superflua, quantas tricas & nugas in plurimorum libris, qui pathologiam docere debent, inuenimus. Quale emolumentum ex multarum definitionum coaceruatione, limitatione, explicatione & refutatione expectandum? Quem in finem Hippocratis, Galeni, Paracelsi, Helmontii, Willisii, Syluii atque aliorum opiniones & descriptiones, quibus, in explicandis morbis eorumque causis, usi fuerunt, uti praeter DOLAEVM, (c) multi alii fecerunt, adducis. Tu ipsemet succinctam, quae rei naturam exhaurit, iis, quae aliena, quae superflua atque inutilia sunt, relictis, definitionem suppeditas; hac enim ratione, cum tua sufficiat, aliorum definitionibus obscuris & minus adaequatis, quae artem salutarem, in se iam maxime prolixi & difficilem, difficiliorem adhuc reddunt, carere possumus. Suppositionem autem, excipis, a ueritate, atque opinionem a scientia, pluribus propositis atque

exa-

(c) in Oper. & quidem Encyclopaedia Medica, in omnium morborum descriptione.

examinatis definitionibus, melius discerni & cognosci; imo operae pretium esse, ut aliorum indicemus errores, ne in eisdem incidant discentes; ast hac methodo alios refutando, opportunum discendi tempus perdis, & auditorum ingenia nimia rerum, quas nondum intelligunt, copia obruis atque obtundis. De aliorum erroribus, in definiendis morbis, minus sis sollicitus, cures modo, ne idem, quod aliis imputas, tibi eueniat; ita potius ueri a falso discretionem instituas, ut per demonstrationem ex rei, quam definis, natura atque essentia elicitam, uerum certumque pateat, falsum deinceps sua sponte corruet, & errores, quos alii commiserunt, illico elucescent. Vnicum non sufficeret uolumen, & plus laboris, quam ad Augiae stabulum purgandum necesse erat, requireretur, si omnia, quae tanquam inutilia atque a scopo medendi aliena e medicina proscrubenda, ex antiquorum medicorum libris pathologicis adducere uellem, iis dehinc acquiescendum, quae antecedens habuit, & praefens retinuit auxitque seculum. Plurima etiam inter eadem, quae inutilia & peregrina dicimus, ita comparata, ut non refutatione, sed risu potius digna sint. Tales sunt quaestiones, quas, uti allegat AMMANVS, (d) scholae medicorum habent, an morbus sit substantia, aut qualitas praedicamentalis? atque in quo praedicamento morbus collocandus? Eiusdem farinae sunt quaestiones, in quibus decidendis multum temporis chartaeque perdidit BLASIVS, (e) an nimirum morbus sit habitus, aut dispositio? an substantia, uel relatio? an impotentia, uel proportio? an animatis atque inanimatis competat? Frustraneus quoque atque inutilis plane modo allegati auctoris est labor, qui anxie, an morbus corporeus sit? disquirat, atque ad illud probandum uaria contra Primirofium argumenta conquisiuit. Similes his FERNE-
LII (f) distinctiones inter affectionem atque affectum; inter affectum praeter naturam & contra naturam; ac maximam ille,

A 3 dum

(d) *Consil. de Instit. medic. emendatione* lib. 2. part. 1. cap. 1. §. 8. p. m. 120. (e) libro, qui dicitur *Impetus Primirofii in Plempium rerufus*, & prodiit Amstelodami 1679. apud Rauensteynium lib. 4. sect. 1. cap. 2. (f) *Oper. med. Venetiis* 1666. in 4to editis. *Pathol. lib. cap. 1. p. 219. & 220.*

dum differentiam inter *διάθεσις*, *πάθος* atque *ἐνέργεια*, genuinum harum uocum sensum ignorans, enodare uoluit, confusionem peperit. Inutile pariter atque ab artis salutaris fine alienum, pathologiae & morborum, quoad etymologiam, homonymiam & synonymiam, quod CHRIST. IOH. LANGIUS (g) instituit, examen. Eandem censuram merentur refutationes Langianae, quibus Sennerti & Moebii errores, quos in describendis morbis, ex illius mente, commiserunt, ob oculos ponere satagit. Minus adaequate & absque omni emolumento multi pathologiae cultores in sanum, aegrotum & neutrum statum distinguunt, uti enim de sanitatis & morborum existentia nullus, cui mens sana est, dubitat, ita medius inter sanum atque aegrotum status, chimaeris annumerandus; illi enim, qui sibi statum neutrum fingunt, inter morbi principium atque incrementum; inter morbos leues & graues; inter chronicos atque acutos haud distinguere norunt. Vulgo atque idiotis talis condonandus error, minime uero medicis. Quot homines in principio grauium quoque acutorum morborum leuioribus saltem afficiuntur symptomatibus, ita, ut quantum illis imminet periculum, non sentiant, nec credant, morbum iam adesse? Quot haec laborantes per longius temporis spatium obambulant, suasque actiones peragunt, antequam se perfecte aegrotare animaduertant. Cum haec inter omnes consent, superflua sane est quaestio, an detur status neuter? atque absque penitus ratione ETTMVLLERVS (h) inter statum neutralitatis deciditiae & conualescentiae distinguit. Corruit pariter ex hoc fundamento doctrina de orthostasi, per quam eam hominis conditionem intelligunt, ubi quidem uaria adsunt incommoda, tanquam certa morbi praesentis indicia, lecto tamen aegrotus nondum affixus tenetur, sed haec ab allegatae uocis significatione abhorrent partim, partim morborum tempora & indoles confunduntur. Ex hac ratione ETTMVLLERI (i) emendatio-

(g) in Oper. med. Lipsiae 1704. in fol. editis Part. 1. Pathol. gen. p. 715. (h) Oper. med. quae 1696 Francofurti ad Moenum in fol. prodierunt. Vol. 1. part. 2. cap. 1. p. 175. (i) lib. Volum. & cap. citat. p. 176.

tione etiam carere possumus, qui descriptum modo hominum statum, non orthostasin, sed potius orthostaticam ualitudinis re-
 ditudinem dicendam esse, autumat. Huius loci quoque est AR-
 GENTERII (k) ἀσπάζεσθαι, quae illi idem, quod aliis orthosta-
 sis, denotat. Ac plus quam Herophilaea atque omnino inutilis
 est eiusdem auctoris in affectum, passionem atque ἀσπάζεσθαι
 distinctio, cum haec uerba sensu medico unum idemque, mor-
 bos nempe, significant.

III. Plura adhuc inutilia e pathologia exterminanda re-
 stant, si inutiles & multiplices distinctiones respicimus. Talis
 est diuisio morborum intemperiei cum & sine materia, quae non
 saltem a scopo medendi, sed a sana quoque ratione aliena est, in-
 temperies enim absque materia concipi nequit. Talis etiam est
 distinctio affectuum intemperiei purae atque impurae, siue, uti
 FERNELIUS (l) loquitur, ex humorum intemperatorum
 uel putridorum uitio ortae, manifesta quippe hic adest contra-
 dictio, cum quaeuis intemperies in humorum uitio consistat, nul-
 laque intemperies pura detur. Sine omni pariter rationis suf-
 fragio, in allegandis morborum causis, iam uentriculi uel hepa-
 tis, iam pulmonum uel cordis aliorumque uiscerum intemperies
 calida uel frigida accusatur. Quid sibi uolunt occultae qualita-
 tes harumque morbi? quis ex iis, quae illarum infirmitatum in-
 doles, & quomodo curandae, perspicere potest? Quid prodest a
 FERNELIO (m) excogitata in morbos formae & materiae
 distinctio? Quid prodest prolixa SENNERTI (n) de mor-
 borum subiecto disputatio, ubi idem humores corporis ex uitali-
 um numero partium excludens, morborum subiectum non in
 fluidis, sed solidis constituendum esse, demonstrare annitur;
 hac uero ratione multorum morborum origo & materia peccans
 non eruetur, quae omnium frequentissime a humorum labe ar-
 cessenda. Haec autem illum in finem non adducimus, ut EY-
 SELII (o) & LINSINGII (p) errori patrocinium consti-
 tua-

(k) Oper. med. lib. de morb. gener. cap. 1. p. 143. (l) lib. citat. cap.
 7. p. 224. (m) lib. & pag. cit. (n) Epitom. institut. lib. 2. part.
 1. cap. 1. pag. 70. (o) Compend. Pathol. §. 8. p. 5. & 6. (p) Tentam.
 & exam. med. Institut. auct. a Læwio lib. 3. tit. 1. qu. 3. p. 415. & 416.

tuamus, qui subiectum primarium & principale infirmitatum corporis, sanguinem & spiritus, secundarium, solidas partes esse, affirmant; cuius enim perito medico satis notum, quod multorum morborum essentia atque origo iam in nimia solidorum laxitate, iam in rigiditate consistat; ac quid de fractura, fissura, luxatione, hernia, uteri intestinique recti prolapsu, uulnere & similibus infirmitatibus naturae dicendum? Nec operae pretium, ut eorum immorer distinctioni, qui aliud subiectum inhaesionis, aliud radicationis esse, perhibent. Quae utilitas ex BARTHOLOMAEI PERDVLCIS (q) distinctione expectanda, qui alios morbos ἐν τῇ ῥίσει, alios ἐν τῇ ἔξει consistere, perhibet. Nec sufficientem uideo rationem, cur modo allegatus auctor diuisionem inter morbos similarium atque organicarum partium constituerit, cum omnes sic dictae similes sint organicae, atque ex uaria & multiplici earum combinatione, diuersae uiscera atque organa figurae & magnitudinis efformentur. Maxime rationalis alias est morborum, si originem atque essentiam respicimus, in idiopathicos & sympathicos distinctio, sed hos iterum BARTHOLOMAEVS PERDVLCIS (r) confundit, dum idiopathiam duplicem, nempe πρωτοπάθειαν, quae sensu medico idem ac idiopathia, & δευτεροπάθειαν, quae idem ac sympathia significat, constituit; imo cum morbus sympathicus sit symptoma morbi idiopathici, qui essentialis quoque & primarius dicitur, minus necessarium, ut distinctiones coaceruemus, atque inter morbum & symptoma, & inter affectum idiopathicum & sympathicum distinctionem constituamus, cum una ad explicationem sufficiat. Quae, cum ita sint, ualde miror, quod incomparabilis alias medicus Batauus BOERHAVE (s) eandem cum PERDVLCI obtineat opinionem, & praeter ιδιοπάθειαν & συμπαθειαν, adhuc πρωτοπάθειαν & δευτεροπάθειαν in scenam producat. Frustraneus quoque est ARGENTERII (t) labor,

(q) Oper. medic. quae Parisiis apud Bessin 1649 prodierunt, lib. 2. Sect. 1. cap. 2. p. 148. (r) lib. & sect. cit. cap. 3. p. 149. (s) Instit. Med. quae Parisiis apud Guillelmum Cavalier 1722 prodierunt, Pathol. §. 763. p. 237. (t) Operibus, quae Hanouiae apud Weichelium 1620 prodierunt, lib. de morb. gener. cap. 1. p. 1433.

labor, qui in explicanda pathologia occupatus, dum succincta morbi definitio suppeditanda, multis primum demonstrare aliisque persuadere gestit, quod morbus non semper sit affectus, sed nonnunquam etiam passio; quod morborum causae non sint dispositiones, atque in quo genere eadem collocandae; ut taceam inutilia & futilia, quae idem de morbo iam per alterationem, iam per qualitatem, nunc per *διαθεσιν*, nunc per constitutionem uel compositionem praeternaturalem definiendo, prolixè adducit. Prolixa pariter atque inutilis eiusdem Auctoris (u) de calore praeternaturali, de calculo uesicae aliarumque partium, de continui solutione, de ungue oculi & laesae affectibus magnitudinis, similibusque pathematibus, quae ille omnia e morborum catalogo excludit, disputatio, hoc enim modo nec atrophia, nec hydrops, nec fractura, nec uulnus, ad classè infirmitatum, quibus humanum corpus infestatur, pertinerent. En multiplicem atque inutilem terminologiam! en uerborum ampullas & tricas, e pathologia, cum nihil penitus ad sanitatis defensionem & morborum cognitionem ac medelam contribuant, exterminandas!

IV. Corrupta sane & pessima haec pathologiam discendi & docendi methodus, qua ueteres usi fuerunt, & cui adhuc sedulo multi recentiorum inhaerent. Misera merito illorum studiorum conditio dicenda, qui in huiusmodi incidunt docentes, cum primis si sobriae expertes philosophiae iudicii laborant imbecillitate; nam huiusmodi homines ea penitus ratione, uti a sanctis uirginibus preces latino addiscuntur idiomate, non uero intelliguntur, anilia illa imbibunt praecepta, ac mente praeiudiciis referta, nec ad docendam, nec ad exercendam pathologiam apti idoneique existunt. Praecipue uero dolendum, quod huiusmodi inutilia atque anilia ab antiquis proposita medicis, recentiores non retinuerint modo & propagauerint, sed plura quoque noua a medici intentione atque emolumento prorsus aliena excogitauerint. Huius loci est noua Stahlianorum de febribus & similis infirmitatibus naturae, quas ex morborum catalogo ex-

B

cluden-

(u) lib. citat. cap. 2. p. 1430. & sequ.

cludentes, critica naturae molimina appellant, disputatio; haud negandum, quod febres intermittentes tertianae, quartanae, diarrhoea, icterus aliique similes morbi nonnunquam sint critici, & per hos alia grauiora corporis mala tollantur, uti iam suo tempore animaduertit HIPPOCRATES (x) his usus: τῶν πυρετῶν ἀσφαλίσταται πάντων, καὶ ῥῆϊστα, καὶ μακρότατα ὁ τεταρταῖος, ἀλλὰ καὶ νοσημάτων μεγάλων ἄλλων ῥύεται, h. e. februm omnium tutissima, placidissima & longissima est quartana, quae & ab aliis magnis morbis liberat. Quis uero ex allegata ratione febrem quartanam ex catalogo morborum excludet, cum, uti refert SPONIUS (y) ex Galeni obseruatione, aegroti quartana lienis obstructionem sequente laborantes in hydropem saepe inciderint & perierint. Longius quoque a salutaris scopo artis remota est morborum in numero peccantium consideratio & distinctio, ubi uel pars deficit, aut abundat; sit deficit, nullum in medicina proprie ita dicta prostat subsidium, atque illud, quod suppeditat chirurgia, est palliatium, nec eadem idem semper praestare potest; qua quaeso ratione, quantum pedis manusque, qui deficit, digitum restitues? quo artificio illi, qui unum saltem habet testiculum, alterum procurabis? Atque ex quo fundamento, illum, qui μονόρχος est, in aegrotorum catalogum referre potes, cum non modo sanam in corpore sano mentem possideat, sed strenue etiam se in castris ueneris exhibeat, numero saepe, quam procreauit, sobole, idem demonstrat? Eo minus dehinc illos naturae lusus, ubi auctus partium numerus reperitur, quales sunt ἐξ ἀδάκτυλοι, τριόρχιδες, in morborum numerum referre decet; nam peraeque illi, qui sex habent digitos, manibus pedibusque apprehendere, incedere & laborare possunt, uti in istis, quibus quinque ordinario digiti concessi, obseruamus. Illi denique, qui tres, duorum loco, testiculos obtinent, ceteris ad generationis negotium aptiores & promtiores existunt. Nec est causae, ut huiusmodi naturae lusus partiumque luxuriam uitia appelles, & cum CARDANO nouam tibi inter uitia & morbos

(x) lib. Epidem. uid. Sponius aphor. nou. sect. 3. §. 76. p. 172. (y) lib. loc. & pag. modo citat.

morbos distinctionem fingas. Minus certe essentialis nec satis fundata est BVXBVMII (z) distinctio, qui tres essentielles morborum differentias constituit, alios, dicens, ad solida, ad fluida alios, aliosque demum ad impetum facientia, seu sic dictos spiritus pertinere; si idem, rationali cerebri & neruorum examine instituto, considerasset, praeter limpham tenuem in corticali cerebri substantia secretam, neruos rigantem ac nutrientem, nullum in cerebro neruisque, aut alio corporis organo, spiritum uitalem, animale & genitalem, siue insitum aut instuum reperiri, generali in affectus solidarum & fluidarum partium distinctione merito acquireret. Ratio, cur EYSELIVS (a) praeter morbos pandemios, endemios, epidemios & sporadicos, publicos adhuc & priuatos, qui iidem cum antecedentibus, adduxerit, me omnino latet, atque in abstruso adhuc haeret; nam qui compendium conscribere intendit, quale hoc loco Eyselii fuit institutum, inutribus & superfluis idem haud imbuere & replere debet. Inanior adhuc & anilis plane est intemperiei in substantificam, qualitatiuam, simplicem, compositam atque elementarem distinctio, quam proposuit LINSINGIVS, huiusque commentator LEO AB ERLSFELD (b) retinuit. Nec uideo, quae ab allegatorum auctorum quaestionibus, an intemperies substantifica, uel qualitatiua, magis consideranda, utilitas? Quid sibi uolunt morbi archaeales, quorum praeter Helmontium, Marcum Marci & citatos modo auctores, ETTMULLERVS (c) facit mentionem. Alienior adhuc ab omni medentis emolumento quaestio, quam commemoratus LINSINGIVS & LEO AB ERLSFELD (d) proposuerunt, utrum lumbrici & calculi sint morbi? atque an ad infirmitatum classem spiritus, humores & contenta sint referenda?

V. Est ita, nec aliter, aliena atque inutilia non uulgo saltem, sed eruditis etiam medicis arrident; cumulantur praeter necessitatem, praeter utilitatem, termini, iique iam graeco, iam

(z) Catechesi medica Parte 2. quaest. 4. (a) lib. citat. §. 47. & 48. p. 32. & 33. (b) Tentam. & exam. medic. Institut. lib. 3. tit. 2. qu. 5. resp. 2. p. 419. & 420. (c) Instit. medic. Part. 2. cap. 2. p. m. 179. (d) lib. cit. Tit. 1. qu. 4. pag. 416. tit. 2. qu. 6. p. 422.

latino proferuntur idiomate, cum maxima artis salutaris & linguarum corruptione. Quem in finem tot termini, tot uocabula graeca in libris pathologicis latina conscriptis dialecto adducuntur? Minime quis credat, me graecae linguae contemptorem esse, eandem potius in deliciis habeo, eiusque culturam omnibus genuinis atque eruditis medicis commendo, ast hoc desidero, hoc repudio, quod, si quis pathologiam latina concinnatam lingua edit, non simul latina ad res notandas & describendas adhibet uocabula, ac si tanta apud Quirites uerborum adesseret inopia, ut dehinc ad Graecos confugere necesse sit; quibus addendum, quod plurimi, ne dicam omnes, artis salutaris cultores graecae linguae omnino expertes, uix latinam intelligant. Nonne, si haec, quae modo commemorauit, respicis, huiusmodi peregrinorum coaceruatio terminorum a pathologiae medicique scopo aliena, & tum discentibus tum docentibus remoras iniicit. Huiusmodi alienis tota medendi methodus ROLFINCII referta; quid τὸ ἀνάλογον τῷ μεγέθει δυσκρασίας; (e) quid τὸ ἀμεινον καὶ σύμμετρον; (f) quid τὰ ἐναντία πρώτως, τὰ ἐναντία δυνάμει καὶ Φαντασίᾳ, τὰ ἐναντία ἐνεργείᾳ καὶ ἐπιωνυμίᾳ, τὰ ἐναντία ἀμέσως καὶ ἐμμέσως; (g) quid τὸ ἐναντιοφανές Θεραπευτικόν; (h) quid, inquam, horum allegatio & prolixa contra chymicos defensio prodest? Melius suam operam ROLFINCIVS, vir alias doctissimus, collocasset, & melius tum suae famae, tum discentium emolumento prospexisset, si relictis, quos HIPPOCRATES, GALENVS & ARETAEVS proposuerunt, terminis, qua ratione morborum sedes atque origo deregenda, quomodo affectus primarii a secundariis distinguendi & curandi, ea, qua datum, industria & perfectione, demonstrare allaborasset. At enim uero error, quem egregius ROLFINCIVS commisit, si eam, quae suo tempore florebat, philosophandi & docendi rationem consideramus, illi facilius condonari potest, quam praesentis seculi doctoribus. Evolue LANGIVM, BOERHAVE, SYLVIVM, ETTMVLLERVM & alios

(e) Ordin. & Method. medic. special. lib. 4. sect. 1. cap. 24. p. m. 309.
 (f) lib. sect. & cap. citat. p. 310. (g) lib. & sect. cit. cap. 28. p. 318.
 & 319. (h) lib. & sect. cit. cap. 29. pag. 319. & sequ.

alios celebres medicos, multa a medici sine aliena, ne dicam, inutilia, inuenies. Huc pertinent diuersae morborum, quibus naturalem solidorum cavitatem iam nimis augeri, iam imminui obferuamus, species; tria auctae cavitatis uasorum uitia, BOERHAVE (i) & SYLVIVS (k) nempe *διαίρεσιν*, *διαπήδησιν*, *ἀνασόμωσιν* allegant; tria pariter habent LINSINGIVS & LEO AB ERLSFELD, (l) sed aliis notata uerbis, nimirum *διάβρωσιν*, *ῥῆξιν*, *ἀνασόμωσιν*. Contra *ἀνασόμωσιν*, licet eandem in numerum morborum, quibus naturalis cavitatis capacitas nimium augetur, antea retulerit, SYLVIVS (m), & contra *διαπήδησιν* LINSINGIVS & LEO AB ERLSFELD, (n) quam ad *ἀνασόμωσιν* referunt, frustraneo disputant effectu; nam utraque allegatorum auctorum pars, quod genuinum illorum, quibus usi fuerunt, uerborum sensum non intelligant, manifeste produnt; haec certe haud expectanda fuissent, & melius sibi aliisque consuluisse, si latina illis nota adhibuissent uocabula. Hoc iis quoque inculcandum, qui plures adhuc allegati uitii species, nempe *διαίρεσιν*, *ῥῆξιν*, *διάβρωσιν* & *διαπήδησιν* adducunt. Eandem, licet a scopo medendi alienam, methodum in explicandis morbis, ubi naturalis cavitatis capacitas imminuitur, aut penitus tollitur, iam allegatus BOERHAVE (o) tenuit, qui quinque illius species, *ἐμφραξιν* scilicet, *σπυροχωρίαν*, *θλίψιν*, *ξύμψωσιν*, *συνίξησιν* constituit, & ad earundem explicationem modo adducta uocabula a Graecis, ac si lingua latina uerbis accommodatis destituta esset, mutuatus est. Par esto iudicium de aliis huiusmodi peregrinis terminis, qui nullum omnino, si pathologiae finem consideramus, usum habent, & artem salutarem discentibus difficiliorem reddunt. Nullus sane, qui debitam adhibet meditationem, inficias ibit, quod res, quarum multiplices in arte salutari occurrunt, praeter necessitatem non sint multiplicandae, adeoque si tale solidorum uitium denominandum, ubi

B 3

par-

(i) Instit. medic. §. 707. p. m. 233. (k) Oper. medic. quae prodierunt Amstelodami apud Elsevirium 1680. Method. lib. 1. cap. 5. §. 31. p. m. 64. (l) lib. cit. tit. 2. qu. 10. p. 426. (m) lib. cap. §. & p. cit. (n) lib. & tit. cit. qu. 11. p. 428. (o) Instit. §. 709. p. 233. & 234.

partes, quae naturaliter cohaerere debent, separatae sunt, haud necessarium, ut primum graecorum terminum διαίρεσις, & deinceps latinorum, diuisionem seu continui contiguue solutionem adducam. Atque hoc quoque obseruandum in explicatione obstructionis, constipationis, coalescentiae, subsidentiae, compressionis & contractionis, alias, si graecis, uti fecit BOERHAVE, terminis utimur, illis deinde latini adiungendi, & demum horum definitio & descriptio addenda.

VI. Plura, quae de solidarum uitii partium dicenda restant, lubens iam temporis penuria ac corporis imbecillitate commotus, silentio transeo, paucis iam, quae inutilia & superflua scholae medicorum in morborum, qui ad fluida pertinent, explicatione habent, attingam. Hic primum sanguinis abundantia, quae plethora dicitur, occurrit, de qua prolixas atque inutiles apud medicos disceptationes inuenimus; alii enim cum ERASISTRATO, SEVERINO, PARACELSO, CROLLIO, HARTMANNO, QUERCETANO, FABRO, POTERIO, HELMONTIO eius existentiam in dubium plane uocant, & ex hoc fundamento uenae sectionem, tanquam pessimum uenenum, repudiant. Alii econtra cum STAHLIO omnium fere morborum causam atque originem a plethora deducunt, ac dehinc uenae sectionem & remedia fluxum haemorrhoidalem promouentia, panaceae instar, commendant. Sed ut ingenue, quid de his sentiam, fatear, utraque sententia alienis atque inutilibus referta est; uti enim sana, cum experientia, ratio dicitur & docet, maiorem quandoque succorum copiam, quam uasa sanguifera commode continere & uehere possunt, adesse, uariisque morbis ansam dare, ita per frequenter succorum rarefactio & cetera corruptae humorum qualitatis uitia cum plethora confunduntur. Certa utique hac ratione plethorae existentia, certaue in morbis ab eadem ortis uenae sectionis utilitas, minus econtra certa minusque fundata, inutilis potius atque ab omni solidi in praxi medica usus spe aliena plethorae quoad uires & quoad uasa distinctio, quam BVXBAMIVS (p) allegat & defendit; nam si plethora, sanguinis supra

(p) lib. citat. Part. 2. qu. 15.

pra mensuram cuique debitam exsuperantia est, nunquam aliter mente concipi poterit, quin uasa plus aequo repleat, distendat, succumbentes neruos & musculosas partes premat, quod e- quidem non sperandum est, nisi cum maiore minoreue uirium prostratione, praesertim, cum unanimi huius distinctionis fautores consensu pronuncient, quod commune utriusque plethorae signum sit, tensiua oppressarum uirium lassitudo; redundantia igitur sanguinis corpori minus proportionata haud adesse potest, quin simul elastica solidorum uis imminuatur & uires prosternantur. Nec causa est, quamobrem plethoram puram aliam, aliam impuram, qua distinctione, tanquam maxime utili, plures delectantur, inducamus. Vnicum huius sententiae auctores exemplum hominis plethora laborantis, ubi non simul uel sanguinis tenuitas nimia & acrimonia, uel uisciditas peccat, adducant; unde quoque ad morbos, quorum origo a plethora deriuatur, curandos, sola uenae sectio haud sufficit, sed illi congrua remedia praemittenda partim, partim post illius usum adhibenda. Rei naturae magis consona ac magis utilis est plethorae in ueram atque apparentem distinctio, cum in illa uenae sectio semper, in hac uero nunquam, aut rarissime conueniat, quod iis cumprimis, qui in discenda pathologia adhuc occupati sunt, a docentibus sedulo & serio inculcandum. Alleganda adhuc esset recentiorum quorundam distinctio, qui plethoram aliam sanguinis, aliam seri esse dicunt; licet autem plethora copiam seu abundantiam quamuis significet, & hoc quoque modo de seri excessu adhiberi possit, ex hoc tamen fundamento hanc distinctionem non approbo, quia a nullo antiquorum, a quibus hunc terminum accepimus, in hoc sensu plethora usurpata fuit.

VII. Tot aliena, tot inutilia pathologia in describendis morbis laesae humorum qualitatis habet, quot occasione plethorae allegata. Primum plurimi pathologiae auctores genus cum specie confundunt, uti exemplo cachexiae probari potest, per quam multi leucophlegmatiam & chlorosin intelligunt, cum tamen cachexia summum omnium morborum genus sit, ac quoduis tum solidorum, tum fluidorum uitium denotet. Varia de-
inceps

inceps & multiplicia vitiatæ humorum qualitatis genera & species sine sufficiente causa constituuntur, qualia sunt intemperies, dyscrasia, cacochymia, scorbutus, quæ uocabula unum idemque, nempe malam sanguinis & ceterorum humorum constitutionem significant. Inutiles porro de cacochymiae speciebus disceptationes deprehendimus, quando alii cum antiquis cacochymiam pituitosam & melancholicam; aut cum BVXB AVMIO (q) acidam, amaram, insipidam, siue dulcem & atrabiliariam; aut cum SYLVIO & TACHENIO acidam atque alcalinam; uel cum BOERHAVE (r) uiscidam, tenuem, muriaticam, oleosam, aromaticam, biliosam, exustam, putridam, rancidam, acidam, acido-austeram & alcalinam adducunt; illi enim termini recte explicati unum idemque significant partim, partim plures cacochymiae species, quarum explicatio & demonstratio adhuc in desideratis est, allegantur. Operæ denique haud prærium, ut morbos, qui in læsa humorum mixtione aut cohaesione consistunt, a cacochymia distinguamus, cum naturalis massæ sanguineæ mixtio & cohaesio absque cacochymia haud perueri queat; si enim sanguinis consistentia naturali spissior est, ita, ut hinc progressius humorum uitalium motus tardior, tardioresque deriuationes & secretiones liquidorum ab ipso separabilium, cacochymia uiscida in culpa est, atque ab eadem omnia, quorum facta mentio, symptomata dependent. Si minor e contra particularum sanguinem constituentium cohaesio seu coniunctio, solutiorque fluidorum adest consistentia & compages, qualem statum in hectici deprehendimus, idem propter gelatinosæ defectum substantiæ atque acrium abundantiam salium euenit; peccat, ut paucis dicam, cacochymia salino-acris. Quis ex his non perspicit, in cacochymia, quæ uis læsæ particularum sanguinem constituentium cohaesionis uitia consistere? Cui potest occultum esse, præsentem maiorem uel minorem particularum sanguinis cohaesione, simul naturalem fluidorum mixtionem turbari? Inutilis itaque in morbos læsæ temperiei, cohaesionis & mixtionis distinctio, quam

(q) Lib. citat. Part. 2. qu. 17. & seq. (r) Institut. Medic. §. 117. & seq. p. m. 336. & sequ.

quam nihilofecius in recentissimis scriptis pathologicis inuenimus. Ridiculum praesertim atque omnis expers emolumentum, quando in explicandis laesae sanguinis mixtionis affectibus, peculiarem situm, nexum & ordinem particularum purpuream massam constituentium, certosque poros atque interualla inter illas particulas relictas, (quasi haec omnia oculis usurpassent, & geometriae subsidio explorassent,) multi sibi fingunt, ac dehinc peruersis atque interruptis, situ, nexu atque ordine particularum, iisque a contactu naturali prorsus dimotis, poros atque interualla inter illas relictas ita immutari, ut aer uitalis intus agens ea consueto & naturali modo transire nequeat, atque adeo uel uehementius uel remissius sanguinem commoueat, ac hic proinde aliam atque aliam, atque ab ea, quae illi naturalis & propria est, diuersam induat constitutionem, asserunt. Sed hic partim peculiaris status naturalis, siue uerum, quod non datur, temperamentum supponitur, partim effectus cum causa confunditur, & causa laesae sanguinis mixtionis, nempe dyscrasia seu cacochymia pro effectu, & effectus, laesa scilicet mixtio, pro causa intemperiei habetur. Quae quidem huius sententiae fautores in diuersis intemperiei gradibus, & hinc resultante differentia inter benignam & malignam dyscrasiam, patrocinium, asserentes: in altera, sanguinis mixtionem minus turbatam, in altera e contra, omnes particulas a naturali statu dimotas atque inter se confusas esse, aut his nihil aliud innuitur & demonstratur, quam quod uarii dentur dyscrasiae gradus, atque a minore, morbi benigni, a maiore, maligni sint deriuandi. Nec tibi persuadeas, uti multis persuasum, cacochymiam sanguinis sine turbata illius mixtione dari; ipsi enim huius opinionis auctoribus est in confesso, quod cacochymia abundantiam & praedominium certarum massam sanguineam constituentium particularum, ac mutatam earum indolem denotet; si ita, qua ratione, excedentibus particulis salino-sulphureis, & deficientibus gelatinosis, qualem constitutionem in sic dictis cholericis deprehendimus, tibi cacochymiam, absque turbata sanguinis mixtione, concipere potes? Qua, quaeso, methodo dyscrasiam phlegmaticam ceterasque explicabis, si negas, a leuiore dyscrasia mixtionem sanguinis turbari? Nonne

in morbis benignis praeque humorum vitalium mixtio laesa est, uti in morbis malignis; hoc saltem discrimen hic obseruandum, quod maior dyscrasiae gradus, seu maxima mixtionis laesio, in malignis, minor uero intemperies, seu leuiter saltem turbata mixtio, in benignis adfit.

VIII. Non sunt leuia, uti quibusdam uidebuntur, quae iam adducta, his tamen adhuc grauiora restant. Ut uero paucis multa complectar, necessarium erit. Plures ita tricas in altera, tertia & quarta pathologiae parte, in quibus de morborum causis, symptomatibus & signis agitur, deprehendimus. Primum nimis prolixa atque inutilis est causarum in finalem, materialem, formalem atque effectricem distinctio, cum medico sola efficiens, ut quae integram, naturalem aptamque partium machinae humanae dispositionem labefactando, morbum infert, atque in proximam, antecedentem & occasionalem distinguitur, sufficiat. Cum igitur medicus allegatis terminis latinis, ad causae efficientis explicationem necessariis, adquiescere possit, superfluum iudico, graecas ex Galeni scriptis uoces idem denotantes, nempe *αίτιαν προηγούμενην & προκαταρκτικήν*, uel *πρόφασιν*, cum BOERHAVIO (s) adducere. Multo minus hic methodus ROLFINCII (r) approbanda, qui praeter *αίτιας προηγούμενας, προκαταρκτικές & προφάσεις*, adhuc *συνεκτικήν, άμεσον ή έμμεσον* allegat. Huc pariter referenda *άμελέρια* ac *συμμελέρια*, & ridiculae utriusque definitiones, quas MERCATVS (u) suppeditauit. Haec tam in docendo, quam discendo pathologiam maxime molesta sunt, nec ullum in pathologiae exercitio usum habent. Plura uero inutilia in causarum quosuis morbos respicientium explicatione occurrunt, aliam eamque uniuersalem omnis infirmitatis causam proximam, naturae nempe *άύλουραΐαν*, seu animae in corpus potentiam & directionem STAHLIVS affert. Ex mente HELMONTII, WEDELII & aliorum, causa proxima in archaico, iam furioso, iam tristi, iam perturbato &

con-

(s) *Instit. Med.* edit. cit. §. 742. & 743. p. 240. & 241. (r) *Traet. cit.* lib. 2. Sect. 3. cap. 2. p. 49. (u) *Oper. Med.* quae Francofurti e collegio Paltheniano 1608. in fol. prodierunt. Tom. 1. lib. 3. class. 1. qu. 175. p. 121.

confuso quaerenda. Eidem sententiae fauet DOLAEVS, a quo archæus pro diuersa, in qua residere dicitur, parte, uariæque, qua gaudet constitutione, modo microcosmetor, modo cosmétorges, modo gasteranax, modo cardimelech, modo bithnimalca, modo rachamelcha, barbara sane & minus licita atque omnino inutili uerborum combinatione, imo corruptione, dicitur. Affeclae GALENI totaque Arabum medicorum cohors proximam omnis infirmitatis causam, a laesis, quas sibi fingebant, uiscerum facultatibus, arcessunt. Ii, qui ex SYLVII TACHENIIque prodierunt schola, cuiusuis originem morbi ab alcali acidoque, & dehinc proueniente fermentatione praeternaturali deducunt. Taceo spirituum animalium explosiones a WILLISIO excogitatas; taceo τὸ θεῖον HIPPOCRATIS; taceo moleculas GASSENDI; taceo rarefactionem & condensationem VERVLAMII; taceo tria PARACELSI principia, tartarum, astra fictitia, semina ac eorum transplantationem; taceo diabolos spiritusue, quos nuper monströse KOSACKIUS inter morborum causas retulit; taceo absonas, quas de immediata morborum causa multi chymici fouent, opiniones, prius certe charta, quam scribendi deficeret materia, si omnia haec ingeniorum commenta allegare uellem. Prudens medicus, cui uaria morborum indoles, sedes & materia peccans haud ignota est, distincte cognoscere potest, quod causa proxima non una eademque in omnibus morbis sit, sed pro allegatarum discrimine circumstantiarum uaria. Missis itaque huiusmodi ambagibus, ex indole, sede & materia peccante, proxima morbi causa eruenda, atque ita in cuiusuis morbi explicatione & cura procedendum.

IX. Ne uero abiectius, quam par est, de hac re quippiam statuamus, operae pretium est, ut id ipsum etiam atque etiam distinctius & expressius symptomatologiae exemplo enucleemus. Ingenue rei rite examinatae certitudine compulsus fateor, quod symptomatologia tota sit superflua, totum quippe illius fundamentum in distinctione inter morbum idiopathicum & sympatheticum consistit; cum uero symptoma sit morbus sympatheticus uel secundarius, tota symptomatologia exacta morbi secundarii explicatione, absolui potest; atque hoc eo magis, cum morbus se-

cundarius, uel symptoma, unam eandemque cum morbo primario uel idiopathico habeat originem, & unam eandemque agnoscat causam materialem, ita, ut radicali morbi essentialis cura instituta, simul morbus secundarius tollatur. Quid igitur prodesset cum BOERHAVIO (x) antiquorum medicorum castra sequente, peculiarem *συμπλωματολογίαν παθολογίας* constitutere? quale emolumentum ex distinctione inter *σύμπλωμα* morbi, *σύμπλωμα* causae, *σύμπτωμα συμπτώματος*, *επιγένημα*, *επιγινόμενον* & *συμβεβηκός*, in pathologiam redundat. Mihi haud imputes, quod hoc loco graeca cum latinis, barbara penitus ratione, coniungantur uerba, medicos terminos, prouti eodem in medicis Boerhauii institutionibus inueni, retinui. Illi porro maximam inter morbum idiopathicum & sympathicum pariunt confusionem, qui symptomatum originem & distinctionem, ab actione partium modo imminuta, modo penitus abolita, modo aucta, modo deprauata deducunt. Unico proposito exemplo magis huius sententiae certitudo constabit; pica, symptoma actionis deprauatae dicitur, sed cum pica saepius sanos absque ullo alio antegresso morbo inuadat, atque a sola fortiore mentis impressione atque imaginatione dependeat, culpa non uentriculo, sed mentis imbecillitati ac fortiori impressioni tribuenda; ac si in praesenti statu pica morbus dicendus, idem non sympathicus, sed idiopathicus, cum a nullo alio morbo dependeat, erit. Ea plane ratione, si nobis iam perspecta sunt essentialia siue pathognomonica morborum signa, si nos differentiae inter morbum criticum & symptomaticum, inter morbum continuum atque intermittentem, periculosum & periculi expertem, ratio haud lateret, distinctionibus, inter symptoma connexum & non connexum, inter symptoma continuum atque intermittens, lethale & salubre, periculosum & minus periculosum, criticum & symptomaticum, quas in medium affert EYSELIVS, (y) carere possumus.

X. Me certe neutiquam haec prolaturum fuisse credatis, nisi amor ueritatis animum mihi ad haec scribenda accendisset,
 alma,

(x) Instit. edit. citat. §. 801. p. 254. (y) Compend. Patholog. §. 60. & 61. p. 41. 42. & 43.

alma, inquam, ueritas, quae, ut ait HESIODVS, *εις τήλ' ἔξελθῶσ'*
αἰεὶ ὑπὲρ ὑβρι' ἔχεται opinioniones enim uerae, solem, instar aquilae, intueri possunt, cum malae causae, quasi nocturnae, lucem fugiant; cum igitur tenus hac nec amori aut studio partium me ad dixerim, sed uni in Dei honorem proximique commodum ueritati litauerim, ea etiam ratione praesentes iam ad finem deducam meditationes. Restat, ut paucis semiologiae naeuos detegam, genuinamque & succinctam huius suppeditem explicationem. Uti nemini, cui prosperae ualeitudinis conseruatio morborumque medela curae cordique est, occultum esse potest, quod absque signis, sanitatis ratio & morborum causae non cognoscantur, multo minus curentur, ita multa superflua atque inutilia in semiologia traduntur. Notissimo illi Sinensium medicorum & Uromantarum errori refutando non immorabor, qui uel ex solo pulsu, uel ex sola urina, omne morborum genus cognoscere uolunt; de eo potius sollicitus ero, ut in Pathologiae explicatione inutiles signorum, pulsus praecipue, urinaeque distinctiones removeantur. Si dicendum, quod res est, illae pulsuum differentiae, uariaeque nomina, serrati nempe, undosi, uermicularis, formicantis, capricantis, intercurrentis, mutili & decurtati, quae apud SENNERTVM aliosque recentiores auctores reperiuntur, merae atque inutiles subtilitates Herophileae, uti iure meritoque iudicat JONSTONVS, sunt; huiusmodi enim pulsus non obseruantur partim, partim non necesse est, ut obseruentur. Quum uero pulsus, arteriarum ab illisu sanguinis dilatationem, & hinc ortam tangentium eas digitorum pressionem notet, illisus autem sanguinis & uis elastica arteriarum sit discrepans, ita, ut illa arteriarum dilatatio iam frequentior, iam tardior, iam fortior, iam debilior, iam aequalis, iam inaequalis sit, omnes pulsus species ad tria capita, ubi in primo de robore, in altero de aequalitate, atque in tertio de uelocitate pulsus agitur, reduci possunt. Ea etiam methodo, in urinae examine & signis exinde desumendis, aliisque pluribus, quae huc spectant, medicus prudens uti debet. Plura quidem de pathologiae emendatione dicenda, est angustum praesentium paginarum spatium eadem haud capere potest. De iis igitur seorsim in peculiari disser-

dissertatione, de peruersa pathologiam discendi, docendi atque exercendi methodo, rectae ad medicinam viae opposita, vulgo *non Schlendrian derer Studiosorum, Professorum und Practicorum Medicinae* agam partim, partim ulterius hoc argumentum Oratione Inaugurali, qua munus Professoris Pathologiae Publici Ordinarii Substituti clementissime a **Serenissimo Regio Principe atque Electore Saxoniae, Domino Domino FRIDERICO AVGVSTO, Clementissimo Patriae Patre** mihi demandatum auspicabor, pertractabo. Deus immortalis vires huic muneri obeundo pares mihi largiatur, quo omnia, quae suscipio, exoptatum assequantur finem.

VITEMBERGAE

TYPIB. EPHR. GOTTL. EICHSFELDII.

